

o/k

J. g. 18

ff

Be.

Theol. D. VII. 331.

**NATALIS
IESV CHRISTI SER-
VATORIS CIC CI XXXIII.**

Carmine anniuersario cele-
bratus à


NATHANE CHYTRÆO.

Cum appendice.



Rostochij, typis Myliandrinis.

M. W. Salmo.



STRENA

D. MARTINO SCHILLINGIO,
PATRITIO BRATISLAVIEN-
SI, VIRO VERA PIETATE, DO-
CTRINA ET HUMANITATE
CLARISSIMO: ET AMICI AMI-
CO INTEGERRIMO: FELICI-
VM NOVI ANNI AVSPICIO-
RVM GRATIA, CONSE-
CRATA A

NATHANE CHYTRÆO.

NATALIS
IESV CHRISTI SER-
VATORIS CIC 10 XXIII.

ΕΝΟΣ ΕΣΤΙ ΧΡΕΙΑ Luc. x.



Mnibus hoc vitium fermecet mor-
talibus, ut se
Rebus inutilibus quiuis cruciare
laboret,
utilibus vel neglectis, vel pectore
lævo

Posthabitum plane. nugas puerilior ætas
Pene vacat, vel nequitiae et petulantibus ausis,
Si propior pubertati haud frenetur habenis.
Fastum, et luxuria simul, et culpabilis otium
Progeniem iuuenes Cyprin sectantur. honores
Exoptant deamantq; viri, et venantur amicos.
In studium nummi projecta est parca senectus.
Quin fermè nullum est hoc non miserabile morbo
Aut genus aut ætas. cur non ita palcat aurum
Insidiatorum tanta minitante corona?
Sunt qui animum varias cupiant coluisse per artes:
Complures ventri addicti quodcunq; libido
Suggerit, expedient: alijs prudentia summum
Creditur esse bonum: huic mercedi obnoxia virtus
Sæpe infelici scopus est; summumq; beati

A 2

Creditur

Creditur esse bonum frustra. unus celibe vita,
Alter connubio gaudet. sunt limina regum
Qui cupidi penetrant : congestum cespite culmen
Alter amat, faustumq; uno se credit in illo.
Cuiq; suum sic quando placet, contraria sordent ;
Est alijs alijs labor hic studiumq; : sed omnes
Nequicq; & temere hic satagunt. siquidem omnia tan-
Vana fuisse hominem docet exitus, atq; magistrorum dem
Stultorum accepto cauta experientia damno.
Quidnam igitur faciam dices ? ut talibus umbris
Præteritis & contemptis, tandem assequar illud
Perfectum solidumq; bonum, quo tendimus omnes,
Pleriq; ignariq; modi, cursusq;, viaq;;
Pleriq; optatam ignari contingere metam.
Hoc nec Aristoteles, nec Chimchius ille Rabinus,
Non Mahometigenæ, aut crudi phantasmata Mosci,
Non Seneca, aut Cicero, aut Arabum te inuenta docebūt,
Sed Salomon, Paulus, Christusq; ter optimus ille
Saluator mundi, ex cuius sunt ore locuti
Quotquot idem docuere suos, quod scilicet una,
Vna homini pietas sit summa atq; optima virtus,
Utilis ad cuncta, & quæ nos quasi copulet ipsi
Coniungatq; Deo, cœlestiq; inferat arci.
Ergo quidquid agant, quidquid meditentur, & inse-
Suscipiant homines, quæcunq; negotia current ;
Unicus hic scopus & meta, ad quam singula tendant,
Obseruari animis, ipsa usq; ad funera debet.

Hoc

Hoc unum præsto nisi sit, sunt omnia nugæ.
Hoc unum est ergo verum summumq; parerga
Cætera, quantumuis mundo admiranda putentur.
Hoc unum Christus Mariæ, dum sedula Martha
Cursitat huc illuc, verbis commendat amicis.
Hoc unum ille Cilix Ephesini suggerit heros,
Quod semper sit spectandum, ad dextrum atq; sinistrum,
A fronte & tergo, sursum simul atq; deorsum :
Hoc longum, hoc latum, hoc altum simul atq; profun-
Hoc omnes Sophiæ numeros comprehendier uno, (dum)
Extra quod nil sit solidum, nihil utile, rectum,
Aut sanum affirmat. sed pars primaria veræ
Et solidæ pietatis ea est, hoc deniq; munus,
In quo cardo rei totius vertitur omnis,
Ut mirandus amor domini, Dilectio mira
Atq; incredibilis, qua nos pater optimus ille
Fædisfragos, nil promeritos nisi sulphur & ignis
Tartarei rabiem sic est complexus ; ut iræ
Iustitiam ardoremq; suæ conuerterit ultro,
Non miseros in mortales (quos protinus una
In nihilum redigi, pressos hoc fulmine, norat)
Sed natum in proprium, sibi maiestate coæua
Naturaq; parem: qui vas ultroneus, acri
Iustitiæ patris exactè quo soluere posset
Debita supplicia, & fuso mala nostra cruore
Ceu velo quodam tegere, aut velut aggere facto
Numinis irati à nobis auertere fluctus

A 3

Ipse

Ipse intercessor mira ratione valeret:
Protinus humani fragiles sibi corporis artus,
Eiusdemque animam macula neuoque carentem
Nexibus eternis solido sibi foedere, prorsus
Nil miscens, nil transfundens, nil denique mutans.
Coniunxit, Deus ut persona verus in una
Sit quoque verus homo noster Servator Iesus.
Verus homo; peccatrici quo soluere possit
Naturae addictas tanto pro criminis poenias.
Iustitiae siquidem diuinae hoc norma requirit,
Ut qui peccauit, poenias quoque perferat idem
Ipsem, haud aliis, qui lapsu purus ab illo est.
Ergo mori ut valeat mortali in corpore Christus;
Factus homo est, et talis homo, qui partibus esset
Integer utrisque, ut sic scilicet utraque lapsi
Pars hominis noxi, hoc ultore, soluta triumphet.
Talis homo; vitio prorsus qui liber ab omni, et
Vindicis ipse noui non indigus, hostia pura,
Victima sancta, et labe carens oblatio miti
Esse placensque patri, macule haud obnoxia, possit.
Nec Deus usque adeo sanctus, purusque, bonusque
Naturae uniri se sustinuissest onustae
Sordibus impuris. liber quoque prorsus ab ista
Carne mori haud posset, qui vita fons et origo
Ipsem atque adeo vita est, fati et necis expers.
Inde Deum quoque te verum plane esse decebat,
Nudus enim duntaxat homo si Christe fuisses,

Non

Non Deus ; irati quinam satis esse parentis
Iustitiae posses ; qui nos seruare misellos ?
Nunquam illinc ipsum qui te extricare valeres.
Quocirca carnem unitam, vi numinis almi,
Ægram sustentari opus est, unaq; soueri in
Personam naturarum consorte duarum,
Ne sola in pœnis tanta sub mole fathiscat
Deficiens, diris adeo cruciatibus impar.
Deniq; quò paucis tibi dicam plurima verbis,
Debuit unus homo ; sed soluere nescius ulli.
Soluendo Deus est ; sed nulli is debuit unquam
Vel minimum. ergo Deus mortali corpori sumto
Factus homo, & nostri est mirandus debitor æris,
Nomina qui, pariter Deus, hæc dissoluat, & ultro
Vindicijs veluti nos nexus emancipet omni.

Atq; hinc planè iterum claro se lumine prodit
Iampridem celebratus amor, bonitasq; paterna
Æterni veri q; Dei, certissima cuius
Et prorsas diuina patent hominiq; stupenda
Indicia, unigenam quod natum, hominemq; Decumq;
Pro nobis lapsis, fugitiuis, hostibus, orbis
Fræsidio & merito, in mortem quoq; tradidit, ut nos
In vitam affereret. quodq; optimus ille redemptor
Pro nobis ultro indignis, nasci q; pati q;
Vulnera cum plagiis, animamq; emittere celsa
De trabe dependens voluit, ne talia nobis
Æternum toleranda forent. ô inclyte Iesu.

A 4

Quis

Quis patris atq; tuos in nos celebrarit amores
Ut decet & par est? sceleris tu ignarus & insonus,
Ad nos immersos vitijs descendis; ut illis
Exutos tibi consimiles nos deniq; reddas.
Tu pius ad reprobos, atq; impietate rebelles
Te demisisti; ut pietas sese aurea nobis
Insinuet rursum. ad tumidos, fastuq; superbos
Accessisti humilis spretusq; modestia nobis
Ut se iterum & victrix tandem patientia sistat.
Post habitis etiam descendere ad infima summis
Non pudor est; ima ut summis coniungere possis.
O Iesu, tuus ille labor, tua summa pericula,
Sunt pax & requies: tua damna, metusq; timorq;
Commoditas sunt & constans fiducia nobis.
Tu quanto minor es mortali in corpore; tanto
Es maior bonitate tua. tu mentibus ægris
Verus ades medicus: duro tu compede vincis
Captiuisq; venis vindex, vitæq; redemptor
Prodigus ipse tuæ, ut nobis mors horrida parcet.
Errorum via tu certa & dux præiuus ipse es.
Tu tristi consolator, benefactor egenis,
Tu fonti iustus, tu iustificator iniquo,
Iustitiaeq; micas fuluo sol purior auro.
Tu mentis vel deliquio, vel morte grauatis
Viuitator ades, vitæ fons viuidus ipse.
O miranda Dei mysteria, peruria nulli!
Mater virgo, caro verbum, Deus est homo factus.

A vi

A vi debilitas, à maiestate tremende
Suscepitur serui species : à robore languor:
Vile à sublimi : supremo à numine limus :
A vita iniusta et solida mortalis imago.
O nullos unquam sat res scrutanda per annos !
Vnde etiam quod non capio reuerenter adoro.
Et cordis genua ima mei cum corpore flecto
Ad cœlum expansis manibus, cœliq; parentem,
Pro virtute sua ut sancti nos flaminis igne
Suscitet, atq; animo robur diuinitus addat:
Perq; fidem ut Christus nostris in cordibus insit
Incola perpetuus, qui nos doceatq; iuiciq; :
In pietate, & amore Dei, patrioq; fauore
Ut bene fundati, atq; alte radicibus actis
Immoti, magis atq; magis cum gente piorum
Omni percipere, atq; animo sentire queamus,
Quam magna, et solida, atq; omni sibi tempore constans,
Quam numeris perfecta suis atq; integra, quamq;
Sufficiens, & nullius indiget supplementi
In solo atq; uno sit nostra redemptio Iesu.
Quimq; adeo mirandus amor, quam mira voluntas,
Quam sincera fides, fauor & miseratio, qua nos
Vermiculos, cineres, bullas, & pulueris umbras
In Christo amplecti voluit ter maximus ille
Omnipotensq; parvus, cuius lux, gloria, robur,
Maiestasq; adeo est maior, quam ut sensibus ullis
Cognosci queat: iniiciat nisi cœlitus ipse

Semina tantarum & princeps primordia rerum.
Quod faciet quoq; cum possit facere ipse velitq;
Quin votis potiora etiam clementia nobis
Illiū impendet, fidei q; ut paruula pridem
Scintilla, at facilis de cœlo ardentibus aucta,
Largiter immensum quandoq; excrescat in ignem
Ipse dabit: cum tu nostris te scilicet ultro
Cordibus insinuans puer ô mitissime Iesu,
Accendes ea cœliflui spiraminis aura.
Faxit id, ut, diuine puer, sine fine modoq;
Te mediter, te concelebrem, te in vota vocando
Suspirem, dicamq; omni tibi tempore grates
Pro bonitate fideq; tua; qua fretus, & omni
Memento vigilans, cupide, semperq; paratus
Te reducem e cœlo exspectem. Tu scilicet illud
Es verum summumq; bonum, quod qui obtinet unum,
Omnia habet, quæ æterna salus & vita requirunt,
Sit licet hic miser aut exul. te ô paruule Iesu
Cum sequor, haud erro: cum de te cogito, nunquam
Decipior: cordis pia cum fiducia solo
A te dependet, nulla formidine tangor:
Innitens tibi finitimas nil curo ruinas:
Te caput & fratrem agnoscens, sociumq; laborum,
Non despero, malis sed contra audientior insto,
Deniq; gratuitis meritis, plagisq; cruentis,
Supplicioq; tuo fidens, ad gaudia cœli,
In tutum veluti turbato ex aequore portum,

Te duce

Te duce peruenio nullo prohibente. tibi vni
Gloria sum nullo annorum superabilis ævo.

SAPIENTIA HOMINIS
CHRISTIANI.

HOC verè est sapere, et bene viuere, propria, missis,
Recte agere, haud proprijs: in utraq; et sorte supremum
Respectare Deum potius, mandataq; Christi,
Quam miseros homines, et vanæ gaudia terræ.
Præsentemq; velut meditari ante omnia mortem.
Plane odisse dolos, et praui crimina mundi.
Æterna et mage de patria, cœloq; sereno
Sollicitis angi curis, et corde fideli;
Quam de terrenæ istius, semperq; caducæ
Delicijs vitæ. quin deniq; scandere cœlum
Mente prius, puroq; animo, quam corpore segni.
Hæc verè est, ignota malis, ars summa piorum,
Hæc requies, in qua, patris o sapientia Iesu,
Tu nos proficere assidue, dum spiritus artus
Hos reget, efficito. sine te labor omnis inanis.

KΛΤ' ΑΚΗΔΕΙΑΣ.

FRigeo sancte Deus vacuus pietatis, in imo
Corde gelu, in toto pectore torpor inest.
Sum cœcus, securus, iners, et segnis et excors,
Nec video in quantis sim miser ipse malis.

O mīsc-

O miserere mei, mea lux, mea vita, meum cor,
Christe salutares ô mihi tende manus.
Imbue sidereis tumet mea viscera flammis,
Pelle gelu & glaciem frigoris oro mei.
Pande oculos mentemq; meam, cautumq; futuri
Me precibus querulis inuigilare sine.
Fac somnus nunquam obrepat, fac lampas oliuo
Ut fidei nunquam despoliata vacet.
Fac aliqua ut semper scintilla superfit, in ignem
Crescere que iustum flatibus aucta queat,
Flatibus æthereis, qui sursum à sordibus orbis
Corda calore suo viuificata trahant.
Ut capite erecto reducem te è nubibus olim
Excipiam, & tecum regna superna petam.

M. LAMBERTO CALENIO,
Ecclesiæ Rostochiensis ministro,
Sponso.

Quis non felicem dicat te iure Caleni ?
Vno cui geminæ contingunt tempore sponsæ,
Vno cui duplices contingunt tempore nati.
Sponsa prior vidua est, cultrix pietatis, & annis
Integra: filioli spoliati patre priore
Te patrem agnoscunt: quos tu cum matre pudica
Dum recipis, placideq; illis alimenta mereris,
Non minimæ pietatis opus præstare putaris.
Sed tamen alterius tibi coniugis altera proles

Mystica

Mystica perpetuo potior debet haberi :
Sanctam Ecclesiam dico, quam sanguine Christus
Ipse suo sibi mercatus, tanto ardet amore,
Ut nihil in toto sit ei preciosius orbe.
Commissum ergo tibi tam rarum & nobile pignus.
Hanc sponsam reuerenter habe, studioq; fidi
Conciliare illam, & tibi deuincire labora,
Quod facis : hanc venerare libens, hanc dilige toto
Pectore, non imitans illos, qui vulnera passim
Infligunt miseræ, quæ dilaniare cruentis
Mox satagunt alij manibus ; sanare laborat
Nemo fere. tu quapropter sis cautor illis,
Et Christo usq; adeo dilectam ante omnia nympham
Exhilarare stude potius, quam tubera cruda,
Morboſo veluti scaber unguis in ulcere fixus,
Detegere, & monstrando alijs augere dolores.
Denudent alij ; laceræ tu vulnera conde.
Deforment alij ; tu Spartam hanc impiger orna.
Offendant alij ; tu consolare gementem.
Proscindant probris alij ; tu fausta precare.
Percutiant alij : potius tu basia fige.
Diuellant alij, tu vinclo adstringe tenaci
Diuulsa : hoc summo curans studio atq; labore,
Corpus ut hoc, satis ante macrum, satis ante cruentum,
Non per te vibice queat dici auctius una.
Ni pietas iubeat, quæuis Camarina quiescat.
Quæ morbos putas, subito non impete ferro,

Sed

Sed meliora doce. nec partem respice tantum;
Sed totum potius: lolium ne euellere credens,
Triticeam exscindas segetem, spicasq; tumentes.
Quin neq; vel minimum, tam grandi in corpore Christi.
Quod Christus non reiecit, tu reiace membrum.
Aut, Christus quem non spreuit, tu sperne misellam.
Pulcrior est oculus, celsa sub fronte locatus;
Nec tamen ille ideo vel talos despicit imos.
Nobile lingua bonum est; verum abdita viscera p[ro]p[ter]a
Temnere non didicit: cor vitæ fons & origo est;
Nec tamen idcirco p[re] se aspernat[ur] & odit
Morborum fontem stomachum. Concordia talis
O[pt]utinam sponsæ generoso in corpore Christi
Regnaret: tum casta fides, dilectio, candor,
Omnia parlatim sanare hæc vulnera possent.
Aut saltem tegere, & plures defendere noxas.
Huc toto contendit animo, doctissime sponsa,
Hanc laudem cupidè affecta, nec cede priusquam
Te palmæ folijs victoria lata coronet.
Sed quid ego Lamberte tibi? non indigus istis
Qui facienda facis; meq; hæc scis rectius ipso.
Cesso igitur. tu sis faustus, cum duplice prole,
Et sponsæ vigeas felix utriusq; maritus.

DICTVM AMBROSI.

VNICUS electis est omnibus omnia Christus.
Quisquis es, hunc adcas, neglectis omnibus, unum.

Hic

Hic solus seruare potest. si vulnera tristi
Saucius es, medicum hic præstat. si febris ab æstu
Torreris; fons est. scelerum si mole grauatis;
Iustitia est. quod si auxilijs sis indigus; ipse
Est virtus. si esurie cruciaris egenus;
Est alimentum idem. lethales forte tenebras
Si refugis; lux est. metuis si spicula mortis;
Est vita. ad cœli è terra si limen anhelas;
Est via duxq; viæ: cuius uestigia quisquis
Sectatur, certo optatam post funera metam
Assequitur: quando id, nescit qui fallere solus.
Promisit, iurans toties: quid credere cessas
Iuranti? cuius nutus tibi iure vel unus
Sufficeret, vel si nutu quid tenuius uno est.

CAUSA COELI NVBILI,
& pluuiarum hoc tempore,
pæne continuarum.

DIC mihi, tam raro magni cur lumina solis
Integra iam plenis conspicias radijs?
Dic mihi, cur olim cœlum sine nube serenum,
Nunc se homini, lapso saepe imbre, neget.
Fallor an in causa est mundi scelerata senectus,
Cæde, libidinibus, perfidiaq; furens,
Flagitijsq; alijs, cœli quibus atria claudi
Nouimus, & tenebris obsita regna peti.
Fallor an in causa est resipiscere nescia vita
Impia? quam & phœbo displicuisse putem.
Vel

Vsq; adeo, vt faciem vel nubibus obtegat atris ;
vel saltem ostendat, moxq; iterum retrahat,
Impatiens oculo, quo cernit cuncta, videre
Crimina, quæ pœnas scit cumulare Dei.
Quas cum nemo satis plorando auertere curet ;
Cœlum ipsum assiduas difflit in lachrymas.

ELUVIES MARIS.

PRæscriptas intra metas hoc tempore nemo
Cum se contineat : cum quid moderatio poscat,
Quid modus, in sumptu, vestitu, gestibus, auro,
Incessu, ornatu, fabricis, rixisq; gulaq;
Iam nemo attendat, nemo obseruare laboret,
Sed contra dextram Domini cita flagra minantem
Quilibet insurgat ; rationis acumine quamuis
Differat à brutis, rebusq; carentibus auræ
Particula ætheriæ : quid mirum? ventus, & ipsa
Si maris insani rabies nulla arte doceri,
Obijcibusq; adeo nullis hoc tempore cogi
Se patitur sylue ut parcatur, pratisq; propinquis.
Ergo undas si quando vides ita margine rupto
Diffluer, & fremitu nobis urbiq; minari ;
Sic Balthen tibi crede loqui : compescere quid me
Molibus obiectis tanta impensa atq; labore
Niteris, & proprij excessus plane immemor ipse es?
Quin fastum prior ipse tuum compesce, piumq;
Disce tenere modum, atq; intra te cogere metas,
Et iunc, quid de me facias, decernere tenta.

F I N I S.

154802

AB: 154802

ULB Halle

003 864 588

3



5b.

V0-17



ame son iāq eufor uī se
qoer iāq weyl iāq eufor uī se
tūmāq tāwīl sīmāq tāwīl
mēnn hēdō pūo eufor uī se
y qun son ovpū. si qon
pūo sīm sīmēld uī se
mēdō jīmū mēdō pūo uī se
wūc uī se. Tūc uī se
on wād sīmāq tāwīl
pūo uī se. Tūc uī se
wūc uī se. Tūc uī se
emū ame uī se. Tūc uī se
nāib si qon pūo uī se

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



*NATALIS
IESV CHRISTI SER-
VATORIS CIC CI.*

*Carmine anniuersario cele-
bratus à*

NATHANE CHYTRÆO.

Cum appendice.



Rostochij, typis Myliandrinis.

M. W. Salmo.